



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Varia Fidei Testimonia historica in Sæculo IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

bat, finxit: *Episcopos & Presbyteros esse aequales: Pro defunctis non precandum, non sacrificandum: non ieiunandum; non Festa celebranda.*

42. ANTIDICOMARANITÆ, anno 375. ex Apollinari progressi in Arabiã, B. Mariam, nato Christo, confucuisse Iosepho.

43. COLLYRIDIANI, eiusdem genimina, die certo in sella curuli exponebant statuam Deiparæ, eique collyridem offerebant in sacrificium per fœmellas.

44. VIGILANTIVS *an.* 395. terræ motu delatus Ierosolymam, ait Hier. nudus orare solebat. Rodebat in ecclesia usum luminum: *Vigilias; Collectas elemosynarum; Reliquiarum miracula: Calibaturn clericorum.*

Inualuit in Gallia. Finxit *Inanem esse inuocationem Sanctorum, cultumque reliquiarum.* Refutatur à S. Hier.

45. HELVIDIVS *an.* 382. finxit, Deiparam, nato Christo filios ex Ioseph suscepisse plures. Confutatur Romæ ab S. Hieronymo.

46. IOVINIANVS pseudomonachus Mediolanensis *an.* 382. finxit, *paria esse & peccata; & premia Sanctorum: Virginitatem non prestare ieiunio.*

Vixit splendide. Cōfutatus à S. Hieronymo, damnatur à S. Siricio Papa in Conc. Mediolanensian. 390. Et relegatur in exilium à Theodosio.

47. PRISCILLIANVS Hispanus nobilis, præditus, ac cerque ingenio, in pulsos Ægypto Gnosticos lapsus, ac Manichæos, vnam ex ijs alijsque conflauit hæresin, auxiliante magia: *anno* 381. CæsarAugustæ per mulierculas cœpit, ac

profecit. Finxit, *Animas eiusdem cum Deo esse substantia: Mundum creatum à principe maligno: Domizicis ieiunandum, vacandum Veneri: Christum non veram assumpsisse carnem: Hominem ex XII. signis Zodiacis compositum, alligatumque fatalibus stellis: unde signa singula singulis membris tribuebant, Masculus ephemeralis inde originem traxit, Carnes, ut immundus, non edebant, diuorina ad libitum frequentabant: Sabellium de Christo docuisse recte: mendacium non esse peccatum. &c.*

Damnatus *an.* 381. in Conc. Cæsaraugustano cum sectarijs, eijcitur ex Hispania. Delati in Italiam se Catholicos dicitant, Communionem ambiunt; nec tamen acceptas species sacras deglutiebant.

S. Damasus Papa & S. Ambr. eos reijciunt ac damnant: mox dolose in Hispaniam irreptant.

An. 385. rursus in Conc. Burdegalensi damnantur: Autorem sectæ Maximus Imp. capite plectit; quem sectarij pro martyre colunt pluribus exagitati Concilij.

V A R I A

Fidei Testimonia historica
in Saeculo IV.

ANNO CCCI. Maximiano, triumphatis Persis, festum ludosque dijs celebrante, & spectatores sanguine victimarum aspersuro, abscedunt Christiani, quorum ope vicerat.

Perorat pro Dijs, diris fulminibus multi cadunt.

k Tho-

Thophida virgo in prostibulum pertrahita legit Euangelium; eam violaturi corrumpunt mortui: ab ea libera. Christiani in Natali Christi cum ipsa ecclesia collecti comburuntur.

ANNO CCCII. Diocletianus edicto curat ubique S. Biblia exuris; itemque libros ethnicorum, e quibus gentilismus conuincebatur.

Vt Martyriorum, sic miraculorum plena omnia in hac persecutione. Tunc ARNOBIUS se Christianum profiteri cepit, ac scribere contra Gentes.

ANNO CCCIII. Traditores facti pluri- mi Episcopi: Carthagenensis Euangelia tradidit, quibus in rogam iniectionis imber & grandis ruens flammam extinxit.

Qui vitro S. Codices habere se prodissent Iudici, ut martyrio afficerentur; inter Martyres haberi vetantur; quo insolentius se Confessores iactabant; idque in Asia. *Dominici celebrandi lex* & necessitas ea esse ducitur, ut reciproce diceretur: Qui agit, Christianus est; & contra.

Genesius minus dans in scena ritus Christianos conuertitur, & martyrio coronatur.

ANNO CCCIV. Diocletianus & Maximianus abdicarunt imperio, quod nequissent extinguere Christianos. Quorum & acta perierunt, in penam Euangelii persecuti.

Et tamen ipsi ethnici in erectos incidunt colossos tropæa deleti nominis Christiani.

At Maximianus resumit eodem anno sceptrum: victus à Constantino, an. 307.

Seipsum laqueo strangulat, *Constan-*

tius vero Imp. obit in Britannia Christianus, ad quem Romam confugerat Constantinus. Diocletianus moritur an. 316. Vide infra.

ANNO CCCV. S. Reliquiarum honorate celebris habebatur, adeo ut Procopius Tharsi Simplicius auri cupidus qualiforum reliquiarum aperuerit. Quo & Agrippæ amasius *Bonifacius*, ut emeremissus, visis martyrijs, & ipse Christianum se profiteretur; & plectitur.

Pro lapsis reconciliari poscentibus S. Petrus Alexandrinus Episcopus. *Regular penitentiam* prescripsit; Vt, captis, tortis & lapsis 40. dierum Captis & lapsis, vnius anni penitentiam; Non captis, & lapsis, duorum annorum: Simulacribus sex mensium Mittentibus pro se feruum qui sacrificaret, anni: Sponte se confitentibus, & lapsis, solatium dandum, & Eucharistia: Clericis lapsis primatio officiorum: pecuniâ redimentes sacificationem non puniendos, quod animam seruarint ære: similiter fuga lapsi.

Concilium Elbertinum statuens, lapsos nec in agone communicandos, id ut affine Nouatianismo, est improbatum in hoc; in alijs adprobatum à Papa.

ANNO CCCVIII. S. Procopius, Dux Egypti, in Scytopoli crucem auream collo gestandam fabre fieri curabat: aurifaber in paratâ postridie mane cernit incisum ei superne *Emanuel*, hinc *Michael*, inde *Gabriel*, hebraicis literis.

Marcus aurifaber erasurus, nequij. Eius presidio Procopius plures abstulit ab hoste victorias.

ANNO CCCIX. *Virginum Martyrum de-* nota Christo castitas emicuit.

S. Pelagia rapienda, se comit velut ad nuptias itura cum sorore & matre sese in præterfluentem deijciunt Antiochiæ.

Alia ibidem ob procorum importunitatem professæ est Virginitatem, ut spem nuptiarum incideret pro eis: qui sacrificare nolentem in lupanar abdiderunt: ubi precantem miles, specie libidinis ingressus, mutatis vestibus liberans martyrio sese offert pro ea.

Cum vero ducendus esset, ecce Virgo prosiliens, me, me; adsum: itaque cum ipso necatur.

Idem Didymus Alexandria præstitit Theodoræ: Alexander Antoninæ: Palladius Agnetæ.

S. Euphrasia Nicomediæ vim militis effugere nequijt, ergo eludit: Fingit se magicam percellere, In primis quæ invulnerabilem redderet; prius eam ab se disceret artes miles, quam ipsa potiretur.

Collum cera obligat, ferire iubet; capite deiecto remanet virgo.

ANNO CCCX. Meletius Lycopolitanus Episcopus anno 306. captus negans Christum, & sacrificans; à Sancto Petro Episc. Alexandrino deponitur Episcopatu; factus dein Episcoporum persecutor cum Diocletiano.

Cui colludentem Arium item excommunicat Petrus. Verum hoc anno 310. recepit eundem, creatque Diaconum.

Et continuo in visione cernit Duodennem cum scisso colobio dicentem, Arius scidit.

Ergo monet, ne vnquam reciperetur Arius, si relabi eum contigisset.

S. Petro dein ob Christi fidem capto, ciues excubant ad carcerem ex amore eiusdem: Montalis, ignara illius capti, vocem audit; Petrus initium Apostolorum; Petrus Alexandria finis Martyrum Episcoporum. Consummat martyrio.

ANNO CCCXI. S. Lucianus presbyter Nicomediæ dum rapitur ad carcerem pro fide, visos milites lapsos circiter 40. reducit ad fidem, cumque ipso cippis includuntur.

Quos in festo Theophaniæ sollicitos de cultu festivo solatus Lucianus ait, ego sum ara, vos circumstantes templum; tantum pectori meo consecrandam hostiam & calicem imponite.

Fit: Missam patrat; ipse sumit, datque cæteris. Postridie affectis martyrio.

ANNO CCCXII. Mexentio tyranno in Constantinum ducente, visi in Italiadiuini exercitus, qui ad Constantinum se tendere dicebant.

Vidit ipse post meridiem in cælo eoruscæm Crucem inscriptam hisce: *In hoc vince.*

Ergo Labarum suum eadem, vexillaque cætera, & scuta & galeas insignit cruce.

Contra 100000. educit vixdum 20000.

Apud Taurinos hostem deler horror nemine exercitus Casariani laeso; Tyrannus in Tiberim seipsum deijcit; perit.

k 2 CON-

Constantinus Deum vicisse fatetur: triumphator Vaticanum ascendit Apostolos rite veneratus: cruces vrbe tota statuit: Senatus, ei gratificaturus, Christi statuam ponit.

Factus igitur Christianus Cōstātinus Martyres tumultuariè in persecutione tumulatos, honorifice recōdi mandat.

Papæ Melchiadi donat palatium Plautij Laterani, ab Nerone cæsi, bonis confiscatis.

Datis rescriptis edicit imperio toto bona ecclesiastica restitui: Clericos ab omni munere ciuili reddi immunes.

Titulum tamen Pontificis Maximi seruat, ab antiquo coniunctum Imperatorio; ne subita mutatio populi Ro. ciceret offensam, ac morum. Eum tam Gratianus post quartum imperij sui annum deposuit, solique Papæ Romano remisit.

ANNO CCCXIII. Constantinus Donatistis S. Cæcilianum Epil. per literas accusantibus, ait: *Peritis à me in saculo iudicium; cum ego Christi iudicium expectem*: simul eos ad Papam remittit.

Papæ vero per Concilium damnante Donatistas, hisque ad Constantinum appellantis, ait: *O rabidi furoris audaciam; ut in causis gentilium solet, appellationem interponunt*. Posteriores tamen Donatistæ iactarunt, sibi causam adiudicatam fuisse. Mos viget peruetus, sub Missa bene dicendi eulogias, i. panes fermentatos: quos dari cuique signum erat Romano-Catholica Cōmunionis publicum, & priuatū.

ANNO CCCXIV. Maximinus à Licinio victus æstuoso morbo torretur ut exarsceret; falsus iustam pœnam ob Christum persecutum.

Mortui nomen è tabulis eraditur. statua vbi que trahuntur, plectuntur amici.

Constantinus edicit, *Quod de quacunque causa fuerit ab Episcopis iudicatum, reatum sanandumque sit iudicibus secularium*. Quin voluit lanciari in Conc. Arclateni, *ut Fasces ac Præsides Episcopis subessent*.

ANNO CCCXV. Constantinus præcidit aures Iudæis, quod Romæ diputatione conuicti persequerentur cōuersos Iudæos; nolentque Principi parere Christiano.

ANNO CCCXVI. Diocletianus vlti Christi exaltatione, & ruina ethnica extabuit lente, accessit cæcitas, putredo viscerum, vermicosa lingua quam commansam eiecit dicens: *Va. Insuper pendopænas impiorum conatum in Christianos*.

Constantinus turbatores Donatistas solum exilijs mulctat, tamquod vana sese de martyrio iactarent, idque affectarent: tum quod nomen Christiani in eis reuereretur.

ANNO CCCXVII. Licinio tyranno bellum in Constantinum moliente, palissim visuntur milites Cæsariani; momentoque triumphantes disparent. Ineluctam forte aciem in Conflictu illa turba erigit Constantinus, hostemque fugat: Signifer sibi sagittam consulturus alteri tradit vexillum, simul oppetit, saluo vicario, cuius pertica Crucis tela vndique excepit.

Constantinus anno insecuto dimicaturus cum Licinio conspicatur equitem ignotum sibi crucem præferre: alias idem iuuenes duos, alias vidit castra sua diuiniore igne collustrari.

ANNO CCCXXI. Constantinus edicit *Domnicam* ybique feriendam; ea comprecandum, suis ipse aulicis & exercitui statas preces praescribit.

lubet & *feriam sextam* praeteris honorandam.

Sancit, ut Ecclesiis testamento legata bona minime negentur: quo ea protinus misericorditer dantur.

Donatistas, nihilo meliores in exilio, relaxat. Silentio serpunt: Dicit *Catholici* affectant, & videri se *communicare cum Romano Episcopo*: Idcirco creant Episcopum, Romam mittunt tanquam in Communionem Papae degentem. Sed ficius proditur.

ANNO CCCXXIV. Constantino dicit conscientiae agitato, ob illatas pluribus nece, suadet Osius Cordub. Episc. baptismum; at Flamines expiari posse negabant.

Correpto lepra illi tuadent balneum ex infanti li cruore: at miseranti matres apparentes, Apostoli iubent baptizetur a Syluestro, & orbe toto restauret ecclesias.

Inperatam igitur ab eo poenitentiam priuatus agit, positam coronam.

Baptizatur, & ecce lux caelo accedit, & in ea Christus ei perlanato dare dexteram visus est. Miram vim auri in fontem dat baptisini.

Dio prima in albis edicit, orbe toto Deum vnum verum esse colendum: *altera* poenas dicit in blasphemantes Christum, aut Christiana Sacra irridentes: *tertia* in Conuultantes Christianis: *quarta* Romanae Ecclesiae priuilegia impendit: *quinta* cunctas ecclesias esse azyla iubet isthuc confugituri: *sexta* &

septima edicit, neu vsquam templa ponantur citra Papae permissum: *octaua*, bidente primus aperit terram pro ecclesia in habitu priuato, sportasque XII. terra plenas secum asportat. Dein duabus horis ad Senatum Populumque Rom. perorat pro fide Christiana, tricies acclamato isto; *Qui Christum negat, male pereant*, aliaque *et cetera*. Solum Senatores pertinaciter ei restiterunt.

Effusa eius in excitadis ecclesiis munificentia urbem, orbemque compleuit. Edicit neminem inuitum baptizandum: Praefecturas vacantes dat Christianis: ethnicos satrapas palam sacrificare vetat.

In erectione columnarum immanium maepto architecto, quod nesciret quemadmodum eas eleuaret, apparens B. Virgo M. cui templum parabat, ostendit machinas, tresque iubet pueros a ludo sumi auxiliares, per quos erigit, quas quantauis virorum vi statuere nequibat.

S. Syluester, quem Vrbeo vsque colebat draconem, ocluso antro occidit. Verum ethnici alium sculptum cum gladio in ore isthuc sub gradibus posuerunt, quos scandens quotannis virgo decidebat in enses maetata idolo: quem dolium monachus aperuit. Inde S. Siluestro appingitur draco.

ANNO CCCXXV. *Ad Conc. Nicenum* venientibus Episcopis Constantinus occurrens caput manibus eorum supponit: sedentibus adstat; nec tetigit nisi iussus.

Ideo vero quondam Valentinianum tali dedignatum honore S. Martinum ignis a tella exiliens compulit eum San-

cto etiam supplicem accidere. Multi Episcopi miraculis, doctrina; vita, Confessione in clyti conuenerunt ad Concilium; inter quos & filij Sathan adfuerunt Ariani; & ij vel Negatores olim, vel Traditores; qui in gratiam Constantini Actis Synodi subscripserunt; sed mox resilierunt.

Cumque contra Catholicos darent Constantino libellos; is ne lectos quidem exussit, dicens: *Vos dati estis à DEO Dij ad nos diiudicandos: Vos Dei expectate iudicium; Vel purpura sua peccantem Sacerdotem tegere paratus.*

Ad Concilium quoque Philosophi conuolarant *ethnici*; sed hi arguentes confusi conuictique à Christiana simplicitate tum aliorum, tum Spiridionis, qui dicenti *οχι μηδ' ον προ γε αββ' ολον*, occlamabat; *Tun' melior eo, qui dixit Grabatum.*

Alexander Episc. Constantinopol. monitus à Constantino, vt cum Philosophis disceptationem iniret; ipse principem ex omnibus delectum reddidit mutum isto: *In nomine IESU CHRISTI præcipio tibi; ne loquare.*

Exorauit Constantinum Eusebius tectus Arianus, ne damnati Ariani Episcopatus eijcerentur; at iussi dant libellum palinodiæ ac pœnitentiæ: quorum & scripta exuruntur, exurique iubentur edicto Imperatoris.

Et ipse Eusebius consentit in *Consubstantiale*; sed suo hoc sensu tacito, *Filium non esse partem substantiæ Patris, sed ei similem.*

ALTERA QVÆSTIO Nicæni Conc. erat de die paschali.

Mandatur Alexandro calculatio.

Decernitur tenendum morem Romanum Lunæ XV. Orientalium morem de luna XIV. deferendum.

At protinus Imperator edicto id publicat contra Quartodecimanos. Sancijt item Conc. Plalmos finiendos isto, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: et addendum: Sicut erat in principio, & nunquam, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

Idque propter Arianos dicentes: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* Sancitum; in Sacris solennibus Symbolum Nicenum recitari; cum alias solum in paschate recitaretur Symbolum Apostolorum.

Hoc vero solum Romæ relicto quod nulla ibi sit vnquam hæresis exta, quæ inualuisset. &c.

Obierant ante finem Concilij Chrysostomus & Massonius; Patres horum tumalis imponunt decreta, orantque liberebant. Etece, postridie mane subscripsisse reperitum est.

Imperator omnes religiose veneratos dimittit. Syluester in Romano Concilio Acta decretaque Nicæna confirmat.

ANNO CCCXXVI. Meletiani & Ariani in vnâ coeunt Communionem, vt iunctim Catholicos impugnent; sed vtrosque Constantinus edicto perit Catholicorum priuilegijs.

Sepulcrum Domini aggere obrutum ab ethnicis, imposto Veneris idolo, Constantinus templo coornat, nouamque construit; Ierusalem contra veterem & crucem de fossam restituit; quâ partem suâ in foto statuâ includit ad prædium vrbis nouæ; partim Veteri mittit. Et Crux ea nil minuebatur, quoque

inde particula deciderentur. Helena in monte Oliueti templum ponit Virgini Mat. i. *Clavis Crucis* Constantinus licet vltas est: vnum in equi frenum vertit; alterum diademati inseruit: tertium maris Adriatici sedando iniecit: quartum suae generationi reseruauit; demum hunc cum parte Crucis templo S. Crucis Romae legauit moriens.

ANNO CCCXXVII. Gētium Nationumque Conuersiones ad Romanocatholicam fidem sunt factae. INDI hoc casu; Meropius philosophus orbē perlitrans, dulcedalae gratiā appulit ad India oram: barbari omnes vti Romanos contrucidāt; duos pueros sub arbore lestantes ad Regē adducunt: placent: educantur: Aedefio pincernae, Frumentio Rationarij munus datur. Rege fati perfuncto, Regina per eos omnia regnat. Demum Frumentius ab Athanasio petit Episcopum mitti; qui ipsum ordinatum remittit, Indosque conuertit inelytus miraculis.

Apud IBEROS ancilla captiua serit fidem. Notabatur statis diebus orare, ieiunare, &c. Reginam, eiusque infantem sui tactu ciliij sanat; conuertit.

Rex suaē negligens conuersionis, in venatione per tenebras errat: in uocanti Christum lux oboritur, vt ad suos redierit, fidem porro discit ab ancilla, colitque.

Eadem precata Deum, nulla vi mobilem columnam, ad templi structuram, facit in acre pensilem seque librare super basi deponentem.

Iosephi Iudaei tarda, & mira conuersio fuit.

Euangelium clam, lectitabat; signo

crucis victas incantationes libidinas vidit, obstupuit: ter à Christo sibi apparente aeger sanatus, cōuertiq; missus, noluit. Demum oblectationem Euangelij ab Iudaeis in fluum praeceps actus, nisi diuinitus euadens, se Christianum profiteretur; ad Constantinum confugit Comes domesticus; ius construendi in Tibiade templa impetrat: ibi cum fornax parandae calci non posset, per magiam Iudaei, ipse infusā aqua benedictā in nomine Crucifixi, dispulit magiam. &c.

ANNO CCCXXVIII. S. Athanasius suum visitans Episcopatum, defertur ad S. Antonium, cui duo detulit pallia. A quo *Monachatus* mirifice auctus est; seu Cœnobitarum in communi viuentium; seu Anachoritarum deserta in colentium. *Monachorum traduces* ex Oriente Romam secum adduxit S. Athanasius in fuga: *an.* 340. In Vrbe, totoque occidente multiplicatos Eusebius Vercellensis, & ipse eorum hoc anno translator ex oriente in occidentem, eos cum Clericatu coniungit per occidentē: Augustinus in Africa: Martinus in Gallia: Athanasius Alexandria, &c.

ANNO CCCXXX. Noua Roma dedicatur B. Virgini Deiparae. In sua statua Clauū crucis includit: cuius in dextera pomum aureum cum cruce; inscriptio talis: *Tibi Christe Deus urbem hanc cōmendo.* Varias reliquias condidit in basi; vt dolabram Noachi; reliquias 7. panum Christi. &c. Tres Cruces statuit cum hac epigrapha: *Iesus Christus vincit.* Ad tertiam plura edita miracula sunt: tertio quoquo anno visi eam circuire ac suffire Angeli cantantes trishagium.

Sal.

Sallicanus à Constantino contra Scythas missus, victimat Marti; Sed ab exercitu desertus fugit.

Iussus à Sacerdote vouere, se fore Christianum: parer: Ducit reollectum exercitum; præit Angelus cum cruce, virique duo; quos securus ad ipsam vique Regem se penetrans supplici parcit totius victor Scythiæ. Ideo vouit perpetuam continentiam. Interim filia eius consecrabantur in moniales.

Post ipse Consul sua dispersit pauperibus, ac Monasticen profitebatur.

ANNO CCCXXXVIII. Sapor Rex Persarum, morte Constantini audita, imperium incurfat: Nisibin diu nequiquam impugnans, muros demum immisso fluuio deiecit; qui tan.en mane primo instaurati stabant; inque ijs Rex conspicatus virum augustissimum, ei mortem intentantem; obsidionem soluit.

S. Ephræm orarat S. Iacobum Episcopum Nisibensem, vt maledicat exercitui imprecatusque ei cyniphes, ab his dire infestati omnes, animis deijciuntur. Nunquam vero capi vrbe ea quirit, quousque S. Iacobi reliquæ: bidem sunt asseruatæ.

ANNO CCCXXXIX. Ariani apud Papam accusant S. Athanasium; *Pacificas* ab eo petunt, vt Catholicici viderentur.

S. Antonius in Visione conspicatur aram, mulis cinctam, calcium ictibus dissipari: visoque irriguit. Schema arianismi iderat.

ANNO CCCXL. S. Athanasius ad Conc. Romanum confugiens, in Vrbem secum intulit Monachos Anto-

nianos. Contra quos clamare Circumcelliones: *Quid sibi vult nomen MONACHVS; Vbi scriptum est: Suum Romæ condidit Symbolum, Romanoque obtulit Concilio.*

ANNO CCCXLI. Ariani quantum mutant suam fidei Confessionem, voluntque videri Nicæni obseruatores vt Catholici esse credantur: Quinam anno 347. qua *Essentialem esse Filium con Patre dicunt: non tamen Coessentialem.* Atque inde *Semitariani* sunt dicti. Adiciuerunt autem sibi Donatistas in communionem contra Romanam. Atque eo postea Cresconius contra Augustinum probare nitentur, se suosque veros vere *Catholicos* esse.

ANNO CCCXLIII. S. Antonius *Ermita* confutat Arianos, fidemque Romano-catholicam miraculis condecorat. Dydimus ob cæcitate mæsto: *morret, ait, prudentem eius rei dolere damno, quam & musca habent; non letari ea, quam d'ipser li meruerunt.*

ANNO CCCXLIV. Gallus ferio, Iulianus fictè pietatem professi. Ceterosque facti Martyria construunt: Galli opes belle processit; Iuliani fundamenta interdum posita semper respuebat ita sic, vt educi nunquam valuerit. Iste hic à Maximo philolopho magiam didicit; vtque fallat, se in monachum tradidit professione facta.

Gallus anno 351. factus Cæsar contra Magnentium tyrannum, necatur. Ergo Iulianus exiit Clericum, ac Monachū; Christum eiarat, per magum scē ad imperium inquirat. Constantius decturus in tyrannum prius omnes milites edicit baptizari, at multi etiam *cingulo*

gulo abiecto potius ad paganitatem se redigi patiuntur: unde gentiles dici *Paganum* ceperant.

Idem nummum honorarium, non sualem, eudicit ista cum inscriptione; *In hoc victor eris*; Magnentius similiter; & tunc primum crux contra crucem est in aciem producta à tyranno & hæretico.

Hic victor iactat veram esse fidem suam arianam; cæterequin non daturum ei Deum victoriam fuisse. Inde scribebat, *Aeternitatem meam*, sese immortalem sibi persuadens; Cum tamen Arianus Christum negarent æternum.

ANNO CCCLVII. Photino in *Sirmiano Conc.* damnat, nouam Arianismam fidei edunt; ne videantur cum illo consentire: atque huic subscripsit Osius coactus, Papæ Legatus. Quin & Liberius Papa coactus item subscripsit; se Primæ formulæ Sirmianæ, in qua asseritur, *Filius cum Patre Substantia communis, & Similitudo*; Non Secundæ, in qua vtraque negabatur: non Tertiæ, in qua solum Similitudo negabatur.

Non igitur Papa factus est hæreticus sentiendo, seu approbando; sed lapsus solum est communicando cum excommunicatis, sicque visus consensisse; item subscribendo contra Athanasium.

Qui fuit lapsus facti personalis; non error Fidei Papalis.

Reuertens tamen Romam respuebatur: Felici adhærebatur; in quem ideoque mouebat persecutionem Constantius. Donec eum capite tuncasset martyrem pro fidem, excommunicatorem suum

Protinus Liberius suam cum Arianis

abrupit communionem; Receptusque est in Cathedram, reuocata & cassata subscriptione sua per contrariam Confessionem.

ANNO CCCLIX. Arimini Conc. ex cccc. Episcopis conuenit, in quibus solum arianis octoginta: Et contra Arianos concludatur.

Constantius legatos ad se ex eo missos subscribere pro arianis cogit. Qui Ariminum reuersi idcirco reipuntur. Veruntamen consentientibus Episcopis vniuersis; posse *Vsque, Substantia, & Consistentia* vocē Niceni Conc. omitti; dummodo in Re ac Sensu conueniantur; ecce! ecce, labuntur omnes, *sequemur mundus Arianum esse ingemuit.*

At vero hic Papa Liberius vnus contra omnes reclamans, à Constantio pellitur Vrbe.

Tum contigit Arimini, quod pseudoepiscopus, ibi à Canonico proprioque Episcopo excommunicatus, verba Sacerdotalia prolaturus, diuinitus puniretur sic, vt ei lingua ex ore propenderet; egresso autem templum rediret in os. Quo ad omnem ingressum ei eueniente, demum pœnitens abiit Episcopatu.

ANNO CCCLXI. Iulianus Apostata quoscunque Episcopos exules restituens, libertatem fecit religionis; quo penitus Ecclesiæ viscera per sectas contrarias exederet.

ANNO CCCLXII. Mysta eius non valente sacrificia patrare, ob pueri Christiani præsentiam, clamabat: *Lotus procul absit, & Vinctus. Nam genus hoc hominum tremis Insula, & omne Puluinar Diu.* Valens, Valentinianus, & Iouinianus Tribuni, dum ei præirent ad Fortunam,

1 adi

æditimum eos lustrali aspergentem pugnâ cædunt, tactâque abiciunt vestem: at protinus proscribentur.

Constantinopoli cibaria omnia, per *Quadragesimam*, itemque & Antiochiæ, fieri iussit idolothyta; ut Christianos vexaret.

At S. Theodori iussu vescuntur omnes cocto frumento; sicque infandi conatus elusus est. Cæsareæ Clericos ad arma cogebat, militiamque sequi.

Sacris Vasis inuersis insidenti sua pendenda, corpusque à vermibus exeduntur; alius crepuit medius. Iuliani auunculo, contra *aram* mingenti, vesica computruit, stercusque per os egerens exhalauit. Blasphemus Hieron computruit, ut viuus in plateam eijciendus esset. Theotecaus sibi linguam commandit, oculos ac dentes excussit: Et ista talia contingere, cum plagis territus Iulianus præcepit *RELIQUIAS* S. Babylæ ex Daphnæo honorificè transferri; & Daphnæum protinus igni de cælo deflagrauit.

Extincti pene Donatistæ ab Iuliano impetrant per Africam restitui; ac inualefcunt, ut nunquam alias. Armati euastant ecclesias. *Eucharistiam* canibus obijcientes discernuntur iisdem.

Ampullam S. Olei vitream eiectam exceperunt Angeli, ut non diffringeretur: *Virgines* stuprabant; vertebant *aras*, *calices* conflatos ethnicis diuendebant ad thurificandum: Sacras *Moniales*, abrepto *Velo*, ad sacrilega matrimonia abripiebant. Iulianus abdicatis cunctis, quæ Christiana erant instituta; suas scholas, hospitalia, monasteria Vestalium, paedagogia, fana, &c. ad Christianorum

imitationem instituebat, ut vulgo imponeret.

AN. CCCLXIII. Dum in Persiam ducit, mira contigerunt; pauca fero. Vexabat Christianorum vita persanctorum *Exequias* interdiu perpetrari: Theotrum iussit extrui, in quo reuertus Clericos dilaniaret, & sacrificaret Chulianos. Cum exercitu militum 65000. alterum traxit secum quæ dæmonum, quæ magorum. Ex vrbe Nisibi *reliquias S. Iacobi* iussit efferri; & protinus vrbs, inuicta alias, à Persa capitur.

In occidentem misit dæmonem nūcium: qui dies denos in aere suspensus Publium Monachum, continue precantem, ne quibat præterire; ut infecto negotio reuerti cogeretur.

In castris atheus incerti ictu teliperit; ante necem tamen manu cruorem spargens clamabat: *Vicisti Galilæ; Saturare Nazarene.*

Iouinianus imperium suscipere coactus quam primum sublata Ecclesiari priuilegia reddit; S. Athanasium accensens de pace Ecclesiæ deliberat; fana claudit, ethnica vetat sacrificia: at religionis tamen libertate relicta. Ergo perit, aut ex fungis comestis, aut ex calice parietis recentis.

ANNO CCCLXIV. Valentinianus Imp. ab Episcopis rogatus, sibi ad Concilium conuenire liceret; respondit: *Locus sum; nefas mihi rebus huiusmodi interesse me.* Simul scholis Christianos restituit Ludimagistros. *Semiariani* missa ex Lapacceno Conc. Confessione Catholica ad Liberium, rursus eum decipiunt, fingentes sese Catholicos, ut in Communionem reciperentur.

Et recepti sunt; lapsu facti persona-
lis; non Fidei Papalis; vt an. 357.

ANNO CCCLXIX. Emelia mater S.
Basilij moriens ait: Tibi Domine pri-
mitias, Macrinam; & decimas Petram,
fructum veri mei Dico. Ergo illa fit
monacha, hic monachus.

ANNO CCCLXX. S. Basilius mona-
chus & Episc. ad fidem Imperatoris a-
riani, huius Praefecto eum sollicitanti ita
respondit; vt hic diceret: *Nemo me vn-
quam tam libere compellauit.* Cui Basilius:
Neque forte in Episcopum incidisti. Ipse tan-
dem adit eum Imperator; sed ad conspe-
ctum eius in templū intremuit attoni-
tus ab ordine Diuinorū; iuratus ad offer-
torium labascebat, vt sustentandus esset.
Abit: S. Basilio dum decernit exilium,
filiolus corripitur febrī. Mōitus poenā
esse diuinam, ad se Basiliū accersit, o-
rare eum pro filio iuber. Cui ille; *Fac-
iam, si Catholice velis eum baptizari.* Negat.
Ergo baptizatus ab ariano, extinguitur.
Subscripturo ipsius proscriptio manus
intremiscit, calamique tres diffringun-
tur.

Vidua nubere praesidi coacta confu-
git ad aram; repctenti eam Valenti ne-
gat Basilius: intentanti vngulas ait: *sic
medebere hepatis meo;* simul a nece Praesi-
dem eximit subiectum tumultuanti
plebi; ac viduam consecrat in monialē.

Antiocheni, post abductum in exili-
um Episcopum suum, Aphraati Mona-
cho adhæserunt. Percunctante hunc
Valente quo irat, aiebat: Pro regno tuo
precaturus: Instanti; ad hoc incella te
decerit; inquit: Ouis in tuto positus id
fecit: nunc turbatas sequi necesse est.

Nec enim filiam, domo paterna fla-

grante, in cubili sessitare decet. Quam
dicendi libertatem increpans fatelles,
dum balneum Valenti parat in bul-
lientem lapsus perit. Idem dein Im-
peratoris equum aquā per crucem be-
nedictā con sanat. Vulgantibus menda-
citer arianis ipsis consentire S. Sabam,
cremo relicta cogitur se Antiochiam
deportare, ijs refellēdis. Per viam dum
matrona eum excipit conuiuio filius in
puteum praiceps ruit: illa tegere iubet
puteum; ministrare sancto satagit; pue-
ro interim saluo permanente. Idem A-
sterio Sophista ariano Antiochia con-
cionaturo, preces & ieiunia indicit ple-
bi; & ecce is vnum eger diē extinguitur.

ANNO CCCLXXII. Basil. ep. ad Oc-
cid. testatur, Oriente toto sic a Catholi-
cis tugi hæreticos Arianos Semiaria-
nos, Apollin. Collyridianos. &c. vt quā-
uis saeva hyeme vel in apertis campis a-
gere conuentus malint.

ANNO CCCLXXIV. Auxentio ari-
ano mortuo, dissentiente in electione
Clero, infans S. Ambr. nominat, tumult-
us tunc cauentem; frustra que obniten-
tem specie seueritatis, scortationis, fu-
gæ. Lætus electione Valentinianus, au-
diuit concionantem contra Magistra-
tus vitia quædā, ait: *Novi tuā in dicendo li-
bertatē; quod studiosus Episcopatus tuo suffraga-
tus sū. Erratis perge nostris facere medicinā.*

AN. CCCLXXV. S. Martin. aditus ad
Imp. Valentem negabatur: ergo Deum
oranti ac ipsum septiduū ieiunanti An-
gelus ait: Ito, portæ vltro patebunt. Pe-
netrat ad Imperatorem; iratum illi assur-
gere nolentem cogit ignis è sella exili-
ens, vt occurreret etiam obuiisque am-
plexibus exciperet sanctum.

Dein Quados indictum bellum deprecâtes, tumidè increpat supplices; & ecce, digne de cœlo videtur suffocari, vt extinctus caderet momento. Hic finis Persecutoris Ariani. Valens autem lege iubet militare Monachos: nolentes necari fustuario.

AN. CCCLXXVI. Valentinian. i. iunior primo Imperii an. libertatè Religionis indulget, cuiuscūq; licet ethnica; miserèq; cū liberis perit. Gratianus verò pro scribit hæreticos; victorq; prosperatur.

Quia tamen an. 381. Priscilliano hæresiarchæ ab exilio reuerti Cæsaraugustam permisit ad Episcopatum; Deus Maximū excitat tyrannum illi in necè.

Macedonius vero, qui ære corruptus restitutionem illius procurarat, mortuo Gratiano confugiturus ad aram, templo patente ianuam reperire nequibat.

Id quod S. Ambrosius ei prædixerat. Prius tamen Gratianus se abdicabat titulo *Pontificis Maximi*, anno 383. Ideo fauentes Maximo Senatores Romani gentiles aiebant; *Si Princeps dici nolit Pontifex Maximus; breui Maximus erit Pontifex.* Sed piorum & S. Ambrosii precibus auertebatur.

ANNO CCCLXXXIII. Theodosius Arcadium filium dicens Imperatorem, dum indulgentius conuicere hæreticis, à S. Amphiloctio salutatur Imperator, non filius adstans. Quod ægre ferenti, ait; *Ita noris & Deum Patrem sui quoque Filij dolere iniuriam: Cur ergo blasphemos toleras?* Continuo is conuentus èt clarestinos hæreticorum interdicit edito. Cæditur à Maximianis S. Ursula cum Sodalibus.

ANNO CCCLXXXIV. S. Gregorius Nazian. redarguit Præfectū Constantinopolitanum de violato ieiunio ecclesiastico. *Augustinus* Mediolani Rhetoricam proficitur; an. 385. conuertitur ad Catholicos.

Eodem Tyrannus Maximus agit Iudicem Ecclesiasticarum causarum: at Theodosius id lege edita vetat. Iubensque tempore paschali nexos omnes solui ac dimitti, ait: *O mibi vel defunctos recare liceret!* Item Valentinianus.

ANNO CCCLXXXVI. Maximus tyrannus Ithacij suasu hæreticos trucidat. Theognostus eum idcirco damnat crudelitatis, ab Episcopo alienæ Concilium, Treuiros a tyranno conuocatum, pronunciat pro Ithacio Hispano, at S. Martinus dissentit. Eum ob id ad hæreticos adnumeraturis Episcopis dissuadet Maximus: suadetque amice S. Martino: at frustra.

Demum minante Imp. missurum de in Hispanias; cunctis hæreticis trucidandis.

Isto coactus S. Martinus cum Episcopis communicans cessit ad horam inuitus.

At protinus ab Angelo reprehensus in via acerbe indoluit. Tunc inuitus, at exoratus, adest conuiuio tyranni: ubi sacerdoti præ Rege primum dat poculum; vt Rege digniori. Placuit. Regnum quoque inuitato ministrat ipsa mentaque reliquias afferrebat.

Angelus iubet Flavianum Antiochenum, vt Antiochiæ ordinet Chrysostomum: in Ordinatione autem nati sunt Angeli manus imponere; & manifesta columba super eum deuolare. A hæ-

con-

concionans itidē mulierculæ admonitu mutatur, dicitque vulgarius; & acclamatur *Os aureum*.

Marcionistæ vxor ibidem ægra ex cholica, desperataque; receptat in tēplum ad Chryl. si ab eo sanitas illi cōtigeret, catholicam futuram. Acceptā igitur ab eo. Aquā benedictā, haustāque protinus consanabatur: Et secum marito conuertit. At Marcionistæ eum vt magum proclamantes, innumeri ad tēplum conuolant remistis Catholicis: & ecce per terræmotum illapsa tēpli fornice, hæretici obteruntur omnes, catholicorum nec vno desiderato.

ANNO CCCLXXXVII. S. Ambrosius postulantis, Imp. ariani iussu Tribuni S. Vasa negat, seque suaque potius pro iisdem offert: oratque populum vt ab tēpli custodia recedat, eustodem fore Deum.

Valentiniano ariano poscenti de bonis ecclesiasticis tributum, S. Ambrosius nec dat, nec negat: si nit, accipiat, si velit, aufertque.

Deinde Ab eodem permissos Gothos rogatus, iussusque pendere, negat Imperatori quicquam esse iuris in Ecclesiam: *quod intra eam sit filius; non supra tyrannus: idque ex gratia; hoc per vim.*

Repertæ tunc reliquiæ SS. *Gerusii & Protasii* Martyrum multis celebrantur miraculis.

ANNO CCCLXXXVIII. Maximo in Italiam ducente, Valentinianus, irato cædibus eius Deo, confugit ad Theodosium; qui fretus Deo ait: *In Domino faciemus virtutem*, sollicitatque monachorum in Ægypto preces: Senuphium episcopum accersit ad se; at is præferens

solitudinem, suum ei baculum & humerale mittit. Hoc indatus Theodosius in aciem venit, vidit, vicit. Vincitum Maximum miseratur; at tribuni abreptum trucidant, præripiuntque miserationi. Valentiniano autē restituit regnum pacatum, iam ex ariano facto Catholico.

ANNO CCCLXXXIX. *Theodosius* Romam ingrediens dat potestatem Christianis ad fana ethnica cum idolis euertenda. Ante Serapidis tēpli euersionem in Ægypto, auditum in eo cantari *Alleluia* nullo cantore viso: Omen id habitum Christianismi inferendi, Marcellus Apameæ Episcopus, Iouis tēplo flammis quantisuis illæso, obstitente cæcodæmone, *aquam benedictam* infudit, ac protinus velut ab oleo flammæ gliscebant. S. Martinus sacram pinum succisurus data à furente populo conditione, si ruentem exciperet; excipit ruentem obiecto S. Crucis signo; ad quod ipsa in ruina sese pinus retor sit in aduersum. Eundem alibi fanum euertentem Angeli duo aduersum rusticos tuetur. Percussuri ceruicem eius, erecta in istum manus exaruit: Eum percussuro culter è manu disparuit.

ANNO CCCXC. Theffalonicæ auriga Capitanei pincernam intuens fixius; accusatur libidinis; captum populus in Circensibus postulat ceu necessarium; negantem cædit in tumultu dominum. Hoc audito effertur Theodosius; Episcopis tamen à vindicta flectentibus compromittit. Dein Tribuni vindictam ab eo impetrantes vocatam velut ad Circensia plebem tribus horis concidunt. Ergo ab Vrbe Mediolanum venienti Theodosio, S. Ambrosius per

litteras suasit pœnitentiam; excludit ecclesiã, ita per visionem iussus, vt nec pro eo Sacrificiũ patraret. Ad valuas templi occurrens dicenti, & *Dauidem peccasse*, respondit; *Sequere & pœnitentem*. Recedit lugens Imperator; têtato frustra per subornatum Rufinum Ambrosio, ipse redit supplex; pro templi foribus expectat; præscribi sibi pœnitentiam orat. Iubetur ista: *Sancito legem, vt mortis lata sententia ipsos XXX. dies ab executione suspendatur; sitq; eius mutanda potestas*. Dicitur factum. Introgressus igitur chorum, post Offertorium Missæ iubetur à Diacono exire, subijciente Ambrosio causam: *Nã purpura non facit Sacerdotem*. Posthæc & Constantinopoli excedere choro solitus, percunctanti causam Nectario Episcopo respondit: *Aegrè tandẽ didici quid ab Episcopo differat Imperator*. Ibidem Pœnitentiarius, quod vulgasset confesũ Diaconi & Diaconissæ concubitum, ab Nectario Episcopo mouetur officio. Ideo lege sancit Theodosius, nea diaconissa fiat nisi sexagenaria. At S. Ambr. cogebat eum reuocare legem; non quidẽ iniustam; sed iniuste latã; quod de Sacris sancire non esset Imperatoris.

AN. CCCXCI. Caput S. Baptistæ repperitum honori est: atque ab Imperatore transfertur: cuius in Samaria sepulchrum corpus *an. 33.* ab Sebastianis Paganis, *an. 362.* combustum est totum, nisi quod ossa pauca subtraxerint Christiani; coruscãte miraculis tamen eiusdem sepulchro. *An. 424.* Marcionitas virtute reliquiarũ ipsius contigit reuerti ad Ecclesiã. S. Aug. licet inuitus, Sacerdotio inunctus prædicat iussu Valerij; tamen si prædicare solis fas Episcopis esset. Eo

monente Agapæ ob abusus subrepentes abrogantur: quæ ad Martyrũ vel per tinæ, aut defunctorũ sepulchra dari consueverat. Oblationes tamẽ, quæ pro animab. defunctorũ fiebant, dari voluit egenis.

AN. CCCXCII. Cælo Valentiniano substituitur Eugenius ethnicus, quem de restituta aris ac sacrificijs arguês S. Ambr. cedit Mediolano; & tamen eius in templo species assiduo orabunda cernitur in tẽplo. Monachos edicto euocat in vrbes fidei defendendã. *Vela pila* cũ historijs martyrum ad templa ipsius sacra, proponi iam olim sueta, tum maxime frequentabantur.

AN. CCCXCIII. Theodosius pro bello contra Eugenium missis passim Legatis preces implorat piorũ: Habitu motatolerotolymam ad loca sancta ipse peregrinatur, indutus cilicio, prostratus in templis. Tributa remittit, quantumuis ad belli neruũ necessaria: Militariẽ licentiam lege coercet, neu Deo hominibusque sit quisquam iniurius.

AN. CCCXCIV. Suis in conspectu primo per Eugenianos prostrigatis, in mœte humi nixus orat, vel in sese iram Diuin dicem vertit; fundique gentes ne dicant: *Vbi est Deus eorum?* Et ecce funditur, vento subito sua in excussiores hostes tela retorquente. Et vero permoctanti in oratione S. Ioan. Euangelistæ cum S. Philippo apparentes ei victoriũ ab Deo sponponderunt. Ipse igitur signi prelij ineundi hoc esse voluit; Selesigno S. Crucis cõsignaret. Mittit victor ad Eugenium capiendum: qui ignarus victoriæ percunctabatur: Aduentante victũ Theodosium? Cui tarellico. Te adducemus ad ipsum. Constantinopoli in

in ipso victoriæ articulo dæmon è templo, in quo Theodosius orarat, euolans exprobrat S. Ioanni Baptistæ decollationem: *Tu me vincis; heu! Paulinus*, Consul Romæ ordinarius, eiusque coniunctas egenis opes amplissimas elargiuntur, monasticenq; profitentur Nolæ in Campania. Hoc æuum innumeris claruit & viris S. & miraculis, fidei testædè.

AN. CCCXCV. Theodosio mortuo *Quadragesimum agit* Arcadius cum S. Ambr. Illius soror Siluia Monialis pijsissima; & ipsius confirmatio priuilegiorum ecclesiasticorum, & proscriptio hæreticorum commuerunt aperiti coniurationem Rufini offensi, quod suam Arcadius sororem non duxisset in vxorem: & idcirco inuitantis Hunnos in imperium.

AN. CCCXCVII. Melania cū Rufino origenista reuersi ex Ægypto in Urbem, auerunt Paulino particulâ de ligno S. Crucis; quod tempore paschali ostensum hyperduleuticis adoratum est. Per idè Paulinus oborto incendio obiectum, flammarum vndas id à domo sua diuertit, & extinxit. Illi ambo de origenismo proditi, ab ignato illius Papa Siricio *Communicatorias* obtinent; abeunt; multosque per eas seducunt. Ideo S. Hier. ep. ad Cresiphontem prolixè docet; plerasque hæreses ab fœminis & profeminatas, & à pijs proditas oppressasque fuisse: ceu Marcella prima prodidit Melaniam & Rufinum. Moritur S. Ambr. solâ sacrâ Hostiâ sumptâ; non calice sacro.

ANNO CCCXCVIII. Donatistarum persecutio in Clericis mactandis, cæcandis, elinguandis, mutilandisque cõpult. Honorium Imp. ad edictum pro

securitate Clericorum publicandum. Augustinus quoque pro ijs ex lege plebendis orat.

Gildone Africam inuadente frater eius Mazecil confugit ad Honorium: ab hoc cum copiis in Africam remissus sanctos monachos secum ducit ceu tutelares. In præcinctu apparet ei S. Ambr. ter humerum pulsat ac dicit: *Hic, hic, hic*. Ibi igitur castris fixis cum 5000. fudit fugauitque 70000. Navi Gildonem fugientem, at ventis reiectum capit, gulamque laqueo frangit. Verum quia victoriâ elatus Ecclesiam violabat, ad eam confugientes extrahens. protinus occiditur in pœnam. S. Aug. quantumuis laicorum distineretur iudicijs; minime tamen Proconsuli permittebat in Clericos iudicium. Quia *Messaliani* hæretici monachi capillati docerent Monachis non laborandum; Augustinus euulgat librum de opere Monachorum; Monachosque Clericosque iubet radere caputque barbamque.

S. Chrys. scribit, dicitque inuectiuam contra *Agapetas Clericorum*, i. adoptiuas sorores, odium patitur, & calumniam. Idem obiurgat Eutropium, quod Honorio legis, de rapiendis vel ab ara reis, autor fuisse; ecce, de violata Augusta reus Eutropius, rapitur ipse primus ab ara.

Gazentes Pagani suo Marnæ, i. Ioui septiduo nequicquam supplicant in sic citate pro pluuias. S. Porphyrius autem cū Christianis ducens extra vibem processionè excluditur; sed impetrata pluuiâ cõtinuo recipiuntur. Rapiebãt idè Diaconû ad necè; quo in v. bẽ illato mortuo, (q. pagâs nefas,) hi turbas ciēt.

Q. at.

Orat Episcopus Deum; redditus vi-
tæ Diaconus solus fuste cædit, fugatque
omnes.

ANNO CCCC. Gainas Dux Arca-
dij contra Rufinum, poscit Arianis
Constantinopoli templum concedi:
Cui Arcadius; ad Episcopum id refe-
ram, ait, Verum S. Chrysostronus os
Gainæ occludit. Qui furens urbem in-
uasurus noctu, per Angelorum exerci-
tum ter absteritus, templum extra vr-
bem occupat: id quod Arcadius vna
cum septem millibus Gothorum inclu-
sis exurit. Arianis ne psalmis suis sedu-
cant plures, etiam S. Chrysostronus

concini hymnos curat. Ex quo subito
aliquando tumultu, canum Arianis fe-
uerè interdicat Imperator. Demum de
vrbe pellit eosdem, dicente illi Chryso-
stomo in templo; Dic; Si corona tua quis
abiecit lapides infereret; quomodo ferretur
Rex Regum Christus per Te feret hæreticus
in pietate?

Per id tempus muliercula, se Catho-
licam simulans, Synaxin sacram adibat.
Acceptam S. Hostiam dans ancillæ pu-
nem sumebat: quo protinus in lapidem
sub dentibus verso, Ariana se inter Ca-
thol. recipi pœnitent. orat, & exorat.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEO IV:
At SIC P A P I S T I S RES STAT R O M A N A, F I D E S Q V E:
Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEM QVÆ.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
Quis quid Ei A V G V S T V S proprio de iure remisit?
3. ANTI NE CHRISTVS erat quisquam hoc ROMANVS in AEO IV: